



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs XLVIII. De Ecclesijs Ædificandis & Reparandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)



TITVLVS XLVIII.

De Ecclesiis Aedificandis & Reparandis.

UT Divinus cultus decenter peragatur & Ecclesiastica Sacramenta Fidelibus commodè ministrantur, Ecclesiæ, præsertim Parochiales, Deo consecrandæ ædificentur instruunturque & collapsæ ruinosaque reparantur. Quò id modò, ad Rubricam hanc est declarandum.

ARTICVLVS I.

De Ecclesiarum, præsertim Parochialium Aedificatione.

SUMMARIUM.

1. Nova Ecclesia in loco exempto sine Pape,
2. In non exempto sine Episcopi consensu,
3. Saltem tacito non erigenda:
4. Eiusque erectio sine iusta causa,
5. Vel cum alieno præiudicio non permittenda est.
6. Nova parochia ob difficultatem accedendi veterem:
7. Non ob solam populi multitudinem erigenda est.
8. Eius Erectio exigit I. Consensum Capituli:

9. Si ad eam Episcopus Ordinariò:
10. Non etiam, si Delegatò iure procedat.
11. II. Competentem numerum parochianorum.
12. III. Congruam aedem, ab Ecclesia Matrice,
13. Vel ab aliis assignandam,
14. Pro necessariis usibus Ecclesiæ & Rectoris sustentatione.
15. IV. Citationem Rectoris Ecclesiæ Matricis.
16. V. Requisitionem consensûs Patroni.
17. VI. Ut competens honos Ecclesiæ Matricis,
18. VII. Et istius Rectori jus Patronatus referretur:
19. Nisi Ecclesia erigatur in fundo alieno.
20. Novam Parochiam erigit Episcopus, Appellatione remotâ.
21. Ecclesia fere esse solent oblonga,
22. Earumque summa altaria respicere Orientem.

Eccliesiarum eòdem, quò supra Tit. 40. sensu acceptarum sive templorum supremi æternique Numinis Majestati, & ad istius cultum ac Sanctorum venerationem per Missarum solennia cæteraque Divina Officia peragenda consecrandorum ædificatio licet

U u u u z

tio, licet sanctissimum maximeque commendandum opus sit, non cuius tamen libera est, sed Ecclesiasticae auctoritatis interventum, *can. Nemo 8. dist. 1. de Confessio. c. Ad hac 4. de Relig. domib. c. Olim 14. V. Insuper, de Privileg. & Novell. 131. cap. 7.* & consensum Papae, si in exempto, *c. Auctoritate 4. V. Inhibemus, de Privileg. in 6.* si vero in non-exempto sive Episcopali jurisdictioni subiecto loco extruenda sit, Episcopi dioecetani, *pr. c. cit. per se vel alium in eiusmodi loco Crucis Dominicae figentis signum, atriumque designantis, & lapidem primarium ponentis exposit, can. Nemo cit. junctâ Glossâ V. Veniat & Novell. 67. cap. 1. Glossa in can. 1. V. Dotem, 1. q. 2. Azor p. 2. Instit. lib. 9. cap. 3. q. 4. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 26. n. 1.*

Neque refert; quod privatum Oratorium in domo sua extruere, Episcopo non requisitò, quis possit, *can. Unicuique 32. & can. Si quis 34. dist. cit.* quia, licet ad pro privata cujusque devotione Jura permittant, non tamen in extructo ejusmodi privato Oratorio celebrari valent Missae: nisi Episcopalis consensus accedat, *can. Unicuique cit. & Trident. Sess. 22. in Decreto de Celebrat. Missae V. Neminem.*

3. Etsi verò hæc ita sint, necessarius tamen ad novæ Ecclesiæ ædificationem non est consensus Episcopi expressus: sed sufficit tacitus sive; quod is Ecclesiam extrui sciverit & non impediverit, nec contraxerit, cum sine incommodo posset, *cit. Azor q. 6. & Barbosa n. 2.* Idque ob specialem favorem piæ intentionis: propter quem, si Episcopus istius extructioni absque ulla justa causa resisteret, vel, quæ sui in ea muneris sunt, per se aut alium præstare renueret, recurri ad superiorem & istius auctoritate compelli posset, *arg. e. Nullus 17. de Jure patronat. cit. Azor*

q. 2. Piafecius Praxis Episc. p. 1. cap. 2. art. 4. pr. & Barbosa cit. n. 2. ubi probe advertit, multò minus, quam novæ extructioni, sine rationabili causa se opponere Episcopum posse ejus jam extructæ & sufficienter dotatæ dilacioni, & per adjecta nova ædificia exornationi, *arg. c. fin. de Testament.* cum id cedat in divini cultus incrementum, & in ejusmodi ampliatione ferè cessent rationes, propter quas novarum Ecclesiarum ædificatio aliquando justè impeditur: quod à Rota decisum, testis est Barbosa l. cit.

Causæ autem novæ Ecclesiæ extructionem impediendi rationabiles & justissimæ sunt; quòd ei non attribuat, & deficiat necessaria dos, *can. Nemo cit.* vel non tam devotionis & Divini cultus, quam quæstus cupiditate fiat, *can. Si quis Episcopam 9. dist. cit.* quòd vicinarum ædium officiat luminibus, ad eas accessu impediatur, aut alteri Ecclesiæ præjudicium inferatur; his enim casibus iter locuset novi operis nuntiationi, *arg. c. 1. d. c. Cum ex injuncto 2. de Novi oper. nunt.* quia Religionis favor, etsi summus sit, ad normam tamen justitiæ debet revocari, *Vallen. ad banc Rubr. §. 1. n. 1.*

Præ aliis autem novarum ædificationem impediendi causis justa est præjudicium Ecclesiæ Parochialis antiquitas constitutæ, *can. Ecclesia 45. Et. 16. q. 1.* idèoque intra istius fines novæ Ecclesiæ Parochialis erectio permittenda non est: nisi ex justa eaque, propter præjudicii magnitudinem, gravi causa: qualis præcipue, imò unica est magna difficultas Ecclesiam parochialem ad eundem pro percipiendis Sacramentis & Divinis officiis audiendis, *c. Ad audientiam 3. pr. & Trident. Sess. 21. cap. 4. de Reformat. vel;* quòd villa seu locus habitacionis Parochianorum ab Ecclesia sua ita remotus sit; ut hybernò aliòve simili tempore ad eam sine magno

magno incommodo confluere: vel, cum infirmantur, pro consueta Ecclesijs Sacramentis ad eam in tempore recurrere non possint, *cit. cap. 4. & c. Ad audientiam, ubi Panormit. in Summa textus & n. 3. & Anton. de Butr. n. 3.* vel; quod inter ejusmodi locum & Ecclesiam decurrat flumen vel torrens, qui pontem non patiatur & vadò transiri saepe non possit, Fagnanus *in c. cit. n. 19.* vel; quod Parochianorum plures familiae extra, Ecclesia autem Parochialis intra moenia Civitatis, istiusque portae noctu clausae sint; ut illae manè ad officia divina accedere, aut repentinae infirmitatis casibus Sacramenta & necessaria animarum subsidia habere quandoque non possint, *cit. Fagnanus n. 20. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 6.* ad qua causam revocatur necessitas leproforu: quorum si alicubi plures congregati simul degant, Ecclesiam cum caemiterio sibi construere & proprium presbyterum, absque praedictio tamen Ecclesiae Parochialis, sibi constituere permittuntur *c. cum de cat. 2. hac Rubr.*

7. Pro justa novam Parochiam erigendi causa, cum Glossa *in can. Nulli 2. dist. 99.* aliqui etiam habent, multitudinem Parochiarum ita excrecentium; ut unus presbyter non sufficiat universis, *arg. can. cit. & can. Praecipimus, 16. q. 1.* Sed verius sola haec causa insufficiens est, cum Populus adeo numerosus est, spiritualibus ipsius necessitatibus succurrendum est remediò, quod S. Synodus Tridentina suggerit *cit. cap. 4. pr.* ubi ab ejus PP. Ecclesiarum Parochialium Rectores, qui cultui Divino peragendo & Ecclesiasticis Sacramentis populo ministrandis ob istius numerum soli non sufficiunt, ab Episcopis compelli jubentur; ut tot Sacerdotes coadjutores sibi adjungant, quot ad illud munus rite obeundum exiguntur. Ita, allegat, S. Congreg. Cardd. Concilii In-

terpp. declaratione & Rotae decisione, Barboia *Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 2. n. 10. & Fagnan. in c. cit. n. 24.* cum ex doctrina Lapi *alleg. 66.* ab eadem Congreg. approbata monuisset, iis etiam casibus, quibus Parochia ob nimiam distantiam, flumen aut moenia interjecta adiri difficulter potest, ad novae erectionem non necessariò deveniri, si illius Rector parochianis ab ea remotis aut aliter exclusis in vicina & accessu facili capella Divina Officia peragat & Sacramenta necessaria ministrat per deputatum à se, & ab Ordinario approbatum Sacerdotem.

Præter justam causam ad novae Parochiae intra alterius fines erectionem requiritur Primò Capituli consilium: imò consensus, *arg. c. Pastoralis 7. in fine de Donationibus.* Ratio est; quia species quaedam est alienationis rerum & jurium Parochiae antiquae; cum per eam ista, & ad hanc pertinentes redditus diminuantur: ad alienationem autem rerum Ecclesiasticarum procedi ab Episcopo non potest sine Capituli consensu, *can. Sine exceptione 12. q. 2. c. 1. c. Tua 8. Et. de Iu, qua à Pralat.* quod non parum confirmat paritas cum duarum Ecclesiarum Unione; cum enim ad hanc, quòd alienationis rationem habeat, necessarius sit consensus Capitularis, hunc etiam exigit Parochiae divisio, ac proinde novae intra alterius fines erectio, *arg. c. 1. de R. J.*

Sed, licet hoc communi & antiquiori omnino expeditum, novissimò tamen Jure S. Synodi Tridentinae *cit. cap. 4.* quò novae Parochias, cum necessitas postulat, erigere Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati possunt, opus est distinctione inter Parochias, intra quarum fines nova erigitur. Et quidem, si illae non exemptae sive jurisdictioni Episcopi Ordinariae subjectae sint, ad novam Parochiam intra earum fines erigenda.

erigendam, ut antiquò, sic modernò Jure necessarius est consensus Capitularis; cum ista erigatur Jure Episcopi Ordinatio: quò, sicut ad unionem, sic etiam ad novæ Parochiæ erectionem sine Capitulo procedere Episcopus non potest; cum circa hunc casum Jus antiquum à Tridentino non sit immutatum. Si verò Parochiæ sint exemptæ, ad novam intra earum fines excitandam procedere Episcopus, Capituli consensu aut etiam consilio non requisitò, potest; cum tali casu eam erigat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, & id agendò gerat vices Papæ, ad ejusmodi consensum aut consilium requirendum non adstricti, *arg. l. 1. §. 1. ff. de Eo, cui mandata, Egid. Bellamera decis. 514. Marian. Socinus in c. Sicut unire 8. de Excess. Prelat. Art. 6. pr. conclus. 14. n. 104. & Fagnanus in c. cit. n. 53.*

Neque posteriori huic distinctionis membro obstat; quòd *cit. cap. 4. decretò Episcopi ita, sive jure delegatò, novas Parochias constituere discretè permittantur, Juxta formam Constitutionis Alexandri III. c. Ad audientiam cit. relata;* ac proinde servatà formà Juris antiqui, ad earum constitutionem Capituli consensum exigentis; quia *c. cit.* Papa ne verbò quidem attingit consensum Capitularem: sed solummodo agit de causâ erectionis novæ Parochiæ, de constitutione & sustentatione Rectoris ei præficiendi, & debito honore servando Ecclesiæ Matrici.

- II.** Secundò ad ejus erectionem requiritur competens numerus Parochianorum, de quo actum est *Tit. 29. n. 4.*
- 12.** Tertio congrua Dos, *can. Nemo cit. quæ, si ex aliena liberalitate superat, res plana & expedita est.* Sin, de Jure assignanda est ex redditibus Ecclesiæ Matricis, iis abundantis, *c. Ad audientiam*

*& cap. 4. cit. Abundantis, inquam, ita ut, eorum parte detractâ, Matricis Rectori competens sustentatio remaneat, can. Bone 12. q. 2. & can. Quinquages. 16. q. 1. quia, si ad unius tantum congruam sustentationem sufficerent, illius Rectoris potior causâ & major ratio habenda foret, arg. can. cit. c. 1. de Parochiis; ne discoopariatur unum altare, ut alterum cooperiatur, Hostiens. in c. Ad audientiam cit. n. 3. ubi Ant. de Butr. n. 10. & Fagnanus n. 4. Quare, si Ecclesia Matricis ultra redditus ad fabricandam & Rectoris sustentationem necessariam non habeat, ad congruam vitæ subsidia debent subditi ejus Parochiani, *arg. c. Canon. 10. de Simonia & ex mente Trident. Sess. 24. cap. 13. In Parochiis de Reformat. decernentis, illos ad id opportunis remediis posse compelli.* Si Parochianos inopia excuset, congruæ sustentationis ei assignandæ onus incumbit Abbati vel Præposito & similibus, quibus Parochia subjecta est in temporalibus, *can. fin. §. Licet V. Si qua, dist. 70. c. Extirpanda 30. pr. V. Cum igitur, de Prob. & dignis. quibus etiam deficientibus ipsi aliunde & si aliter nequeat, de Mendic. suæ redditibus providere Episcopus debet, c. Inter cetera 15. de Offic. Ord. c. 1. fin. hâc Rubr. & hoc non valente, novus Rector artificio vel manuum labore victum quærere debet, *can. Clericus 20. de dist. 91.* Ita in *c. Ad audientiam cit. Hostiens. n. 3. Panormit. n. 7. Joan. Andr. n. 7. & S. Congreg. declarat. alleg. Fagnanus d. n. 5.***

Dos autem Ecclesiæ Parochialis novæ tanta esse debet; ut ex ea non solum luminaria cæteraque ad sacrum ministerium necessaria haberi: sed etiam Rectorum ministro clerico (hodie passim laico) 27

40) ipsi servant in Ecclesia & illius custodiam habent commode sustentari, jura Episcopalia persolveri, in pauperes liberalitas & in peregrinos aliosque hospitalitas exerceri & similia onera supportari valeant, *can. Placuit 2. q. 1. c. 1. de Prab. & dignit. & c. Statuto 2. §. Ubi autem, de Decimis utrobique in 6. Azop. 2. lib. 3. cap. 12. q. 15. & Barbosa de Offic. Parochi cap. 1. n. 40.* cum enim, qui altari servit, de altari vivere debeat, *can. Ex his 12. q. 1. c. Cum secundum 16. pr. de Prab. & dignit.* Ecclesiarum Rectoribus necessaria alimenta in earum erectione utique constituenda erunt ab Episcopo, cujus autoritate eriguntur, juxta *cc. cit.* Imò istè in Ecclesia indotata erectionem consensum præstare non potest: & si eum præstet, atque Ecclesiam sine dote consecret, congruam ei dotem assignare de proprio tenetur, *c. Cum sicut 8. de Consecrat. Eccles. Lambert. de Jure Patronat. Lib. 1. p. 1. pr. q. 5. art. 10. n. 4. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 70. n. 29.*

15) Quartò requiritur citatio Rectoris Parochiæ Matricis, intra cujus fines nova est erigenda; etsi enim cum justa causa exigit, ad novæ Parochiæ erectionem, eò invitò & propter populi ac reddituum diminutionem contradicente, procedi non à Papa solum, secundum Glossam *fm. in san. Nulli 2. dist. 99.* sed etiam ab Episcopo queat, ut *l. cit. Hostiens. V. Obventiones, Panormit. n. 6. & Joan. Andr. n. 7.* volunt, & *c. Ad audientiam cit.* clarè traditur ab Alexandro III. ad eam procedi jubente *Appellationis*, à persona Matricis Ecclesiæ interpositæ, obstaculo sublato, & Trident. *Sess. 21. cap. 4. ibi, Etiam invitò Rectoribus*: ejus tamen citatio necessaria est, *arg. can. Multis, 16. q. 1.* adeò; ut, eò non vocatò & requisitò, non illicita duntaxat, sed etiam invalida & nullius sit momenti, ut post *citr. Glossam fm. La-*

pum *Alleg. 66. n. 3.* eadem *S. Congreg.* censuit apud *citr. Fagnanum n. 30.* præter Rectorem omnes alios, quorum interest, citandos monentem *n. 30.*

Quintò consensus Patroni, saltem si nova Parochia dotanda sit de redditibus dotata ab eo Ecclesiæ Matricis; quia ejus interest; cum, reddituum parte in novam translatà, antiquæ sive Matricis Parochiæ beneficium minùs reddatur æstimabile, & minùs grati futuri sint clerici ad id præsentati. Unde, quod ipsum tangit, ab ipso quoque erit approbandum, *arg. Reg. Quod omnes 29. in 6. At,* licet propter hanc rationem cum aliis, quorum interest, citandus sit Patronus ejusque consensus requirendus, tamen cum novæ Parochiæ erectionem justa causa exigit, ad eam, ipsò invitò, poterit procedi, *arg. c. Ad audientiam cit. novæ Parochiæ erectionem permittentis, invitò Rectore Ecclesiæ Matricis*: cui ejus erectione & reddituum suorum diminutione magis præjudicatur, quàm Patrono. Unde, quod iste patitur, non minùs quàm Rectoris præjudicium Parochianorum incommoditati & salutis periculis cedit.

Sextò; ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiæ servetur, *c. Ad audientiam cit.* vel per solutionem annuæ pensionis, Episcopi arbitriò moderandæ: non quidem in signum subjectionis, ut in *c. cit.* voluit Glossa *¶ Honor*; quia eam, quæ noviter erecta est, Matrici subjectam esse, in Jure fundamentum non habet, ut rectè advertit Panormit. *in c. cit. n. 8.* sed in recognitionem originis ab ea ductæ, & in se translatorem jurium: vel per recursum ad eam pro Baptismo aut sepultura: vel per præstationem aliorum jurium in erectionis limine illi reservatorum, *citr. Hostiens. n. 3. V. Proinde, Panormit. num. 6. & Joan. Andr. n. 10.*

X x x x

Septimò;

18. Septimò; ut Patronatùs sive clericum præsentandi jus Ecclesiæ Matricis Rectori reservetur, per *c. Ad audientiam cit.* textum, ibi, *in ea Sacerdotem ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris insistas*; cum enim ille in capella in Ecclesia constructa & ab alio dotata cum ejus constructore & dotatore jus patronatùs acquirat, per tradita à Panormit. *in c. cit. n. 11.* & Lambertino *Tract. cit. Lib. 2. p. 1. pr. q. 2. art. 15. n. 3.* idem jus cum istis consequetur in nova Parochia erecta intra fines suæ: quantumvis in eam de suis redditibus nihil contulerit, ut generaliter & indistinctè voluit Innocentius *in c. Cum Venerabilis 6. de Exceptionib.* Joan. Andr. *in c. 1. de Capell. Monach. in 6.* Sed male; cum id non desumatur ex *c. Ad audientiam cit.* quia istò pro congrua sustentatione assignata est pars reddituum Ecclesiæ Matricis: & ex *c. Cum dicat. 2. in cuius casu Matricis Ecclesiæ Rectori Patronatùs jus in nova Ecclesia non adstruitur*: nec de Jure erat adstruendum; quia id ex tribus solùm causis, Fundatione, Constructione, Dotatione acquiritur, secundum Glossam ab omnibus receptam *in can. Pia. V. Eodem, 16. q. 7.*

Neque adverlatur; quòd à Rectore acquiratur in capella ab aliis constructa & dotata in Ecclesia, aut etiam in alio fundo, cujus proprietates ad Ecclesiam spectat; quia ad eam solum sive fundum confert Ecclesia, cujus administratio ad ipsum pertinet, quantumvis ea sit Patronata; quia Ecclesiæ res administrare & jura exercere; ac proinde ipsius nomine præsentare, de Jure ad ejus, non Patronum, sed Rectorem spectat, *can. Nullus laicorum, 16. q. 7. & arg. c. Præterea 23. de Jure Patronat. & c. fin. de Offic. Ordin. in 6.*

Quare, licet in Parochia de novo erecta Patronatùs sive præsentandi jus competat Ecclesiæ Matrici, quando illa

in istius fundo aut ex ejus proveniunt constructa, aut dote instructa est: casu tamen, quò illa liberalitate aliena fundata, constructa & dotata est, clericum in ea instituenti præsentandi jus non ad Rectorem Ecclesiæ Matricis, à qua in eam nihil collatum est, sed ad illi soli cuius liberalitate & si ex Ecclesiæ quidem Matricis proveniunt dotata, sed in alieno solo & ab alio cultus sumptibus constructa est, ad illius Rectorem & istos simul pertinet; juxta Regulam traditam à Glossa *in can. Pia cit. V. eodem, & dicta supra Tit. 38. à n. 24.*

His cum justa causa concurrentibus, ad novæ Parochiæ erectionem ratio & Remotò appellacionis obiculus procedere Episcopus potest, *c. Ad audientiam cit.* & si procedat, more ab ipso natus Christianitatis primordio recepto, velte S. Clemente *Lib. 3. Constit. Apostolicæ cap. 10.* ejus Ecclesiam eriget in forma navis oblonga, cui non solum particularis, sed ipsa etià Universalis Ecclesia comparatur, *Non turbatur, 24. q. 5.* quòd in hoc modo tanquam navis tutissimò sine defensio, ejus tanquam navis tutissimò sine defensio, per occurrentia tempestatum pericula ad æternæ salutis portum percingant, *Abzor p. 2. Instit. lib. 9. cap. 3. q. 12.*

In ejus etiam erectione id observabit; ut principale sive summum ejus Altare collocetur versus Orientem, in augmentum ex Apostolica Traditione, in augmentum sicuti in templis observatum fuisse, cum *cit. S. Clemente* perhibet. *Etymolog. Lib. 15.* licet non desint exempla veterum Ecclesiarum, quarum altaria diversim ab Orientali plagam respiciebant; idque id nequam necessitudinem loci & fabricæ decentiam potius, quam certum mundi cardinem attendendum, cum Steph. Durant. *de Rebus Eccles. Lib. 1. cap. 3.* monent. *Tract. cit. de*

ges de Eccles. Cathedr. cap. 5. à n. 14. Rationes ejus Apostolica Traditionis DD. varias & Archidiaconus in can. Ecclesiasticarum 5. dist. 11. integrum earum orationarium refert. Præ aliis congrua est; quod Paradisus à Domino Deo, illiusque supremæ Majestati templum Orientem versus constitutum à Salomone: & Christus cælos cælorum ascenderit ad Orientem: à quo etiam spectandum se exhibuit in ligno Crucis, teste S. Basilio Lib. de Spiritu sancto cap. 13. & 27. & venturus ad judicium expectatur Matth. cap. 24. v. 27. easque ob causas in veteri, Daniel cæterisque Judæi, secundum Glossam in can. cit. v. Orientem versus, & in Novæ Legis primordio Christiani Orationes suas ad Deum dirigere soliti sunt versus Orientem, teste Baronio ad Annum Christi 57. v. 107. apud cit. Frances à n. 21.

ARTICULUS II.

De Congrua Sustentatione Parochi, & de Vicarii Portione.

SUMMARIUM.

- 23. Parochis congrua sustentatio debita,
- 24. Et ex ipsis parochiarum proventus,
- 25. Arbitrio Episcopi assignanda est;
- 26. Et ex illa deficiens supplenda aliunde.
- 27. Vicariis perpetuis congrua portio à decimatoribus,
- 28. Arbitrio Episcopi, præstanda est.
- 29. Aliquando Ecclesie proventus omnes Vicariis relinquuntur;
- 30. Eaque portio fere rerum pretio accommodatur.

- 31. In eam non imputantur redditus incerti;
- 32. Nisi ad certam Summam valeant reduci.
- 33. Portio non mutatur ob qualitatem persone Vicarii;
- 34. Sed ob solam ordinariam insufficienciam ad sustentationem.
- 35. Portionis causa Ecclesiastica est;
- 36. Nisi super illius spolio laicus convenerit.
- 37. Judex fere loci Ordinarius est;
- 38. Etiam cum super ea Exempti conveniuntur.
- 39. Ejus causa Summariè,
- 40. Et, Appellatione remotà, pertractanda est.

Congruam sustentationem Parochiarum Rectoribus designandam, dictum est à n. 12. cum; quod ii ex officio suo, populo Christiano, administrandò Sacramenta fement spiritualia, & verbi Divini prædicatione annuntient Evangelium: illa autem semians carnalia metere, & ad humanæ vitæ usus necessaria accipere: & hoc annuntians de eo vivere debeat, 1. Corinth. cap. 9. v. 11. cum dignus sit operarius cibo suo, Matth. cap. 10. v. 10. tum verò; ne Parochi, aliàs victui quærendo intenti, animarum curam deserere, & mendicare vel sordidum aliquem quæstum exercere cogantur, Gratianus Discept. Forens. cap. 399. n. 13. & Barbosa Prax. Pension. p. 2. q. 13. n. 5.

Atque hæc procul dubiò causa est, cur ipsis Parochiarum suarum proventus & obventiones, c. Pastoralis 9. pr. de his, quæ à Pralat. & fructuum, intra illarum fines provenientium, Primitiæ ac Decimæ ab Ecclesiis sint assignatæ c. 1. c. Cum contingat 29. & c. Cum in tua 30. de Decimis. cur istarum in extraneos, præsertim laicos,

X x x x x

laicos, translationi fortiter & cum edicto vetante resistat, *c. Prohibemus 19. de Decimis & c. 1. de Prescript. in 6.* cur uniones, quibus Parochiæ, quoad temporalia & decimales præsertim fructus, Dignitatibus, Monasteriis, Studioforum Seminariis, Hospitalibus, aliisque piis locis & causis, etiam autoritate Apostolicâ incorporantur, fieri non soleant: nisi congruâ portione earum Rectoribus reservatâ, *c. Exposuisti 33. de Præb. & dignit.* cur beneficia parochialia, quorum reditus annui centum ducatorum summam secundum verum valorem annuum non excedunt, ullis pensionibus vel reservationibus fructuum non valeant gravari, ex decreto Trident. *Sess. 24. cap. 13. de Reformat.* & cum ejusmodi beneficiis, summam illam excedentibus, pensiones imponuntur, centum ducati sine ulla diminutione vel gravamine debeant relinqui, ut ex Garcia *p. 1. de Benef. cap. 5. n. 275.* notat & *Rota decis.* firmat Barbosa *in c. cit. cap. 13. n. 13.* ne congrua sustentatio Parochis facile subtrahatur: cur demum ex communi DD. sensu non valeat consuetudo, vi cujus decimæ quoad congruam sustentationem à Parochis in extraneos transferantur; quod Parochis eatenus debita sint Jure Naturali & Divinò, ex recepta doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 87. art. 1. Consuetudo autem juribus illis prævalere nullâ ratione possit, *c. fin. de Consuet. Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 17. n. 6. & 8. Gutierrez Q. Canon. Lib. 2. cap. 21. num. 51.*

25. Quantum verò ad Parochi congruam sustentationem exigatur, licet expressum videatur à Tridentino: quod, dum beneficiis Parochialibus, centum ducatorum summam non excedentibus, pensionem imponi vetat *cap. 13. cit.* non obscurè insinuat, minoris valoris reditus annuos ad congruam sustentationem, Parocho præ-

standam non esse sufficientem: à DD. tamè passim & merito relinquatur arbitrio Episcopi, qualitates personæ, quam Parochia exigit, eique incumbenda onera, amplitudinem Parochiæ & Parochianorum numerum, varietatem temporum & locorum præsertim diversitatem consideratis, Panormit. *in c. Ad audientiam 1. n. 14.* Rebuffus *de Congrua portione n. 24. & Surdus de Aliment. Tit. 4. q. 23. n. 47.*

Ubi Parochialium Ecclesiarum fructus seu reditus annui adeo exigui sunt, ut ex iis illarum Rector congruam sustentationem habere & debita onera supportare nequeat, id quod ipsorum sustentationi & Ecclesiæ necessitati deest, Synodus Tridentina ab Episcopis suppliciter voluit per unionem beneficiorum Secularium non curatorum & talium; ut Parochus præter animarum curam eorum Missarum obligationi his incumbenti satisfacere queat, Zypæus *ad Tit. de Parochiis, Consult. 4. pr.*

Si unioni locus non sit, delectum supplendum decrevit assignatione primitiarum & decimarum, provenientium ex fundis sitis intra fines Parochiarum; quod eæ pro istarum necessitatibus & Rectorum sustentatione in veteri Divinò & in novo Testamento Ecclesiastica Ordinatione specialiter deputatae sunt: & cum ad extraneos transferuntur, à deputatione illa nunquam ita eximantur; ut pro illorum sustentatione, aliunde deficiente, ad eas recurrere non possit, *arg. cap. 1. §. In diocesi, 13. q. 1. c. Sicut 2. de Suppl. neglig. c. De Monachis 12. de Præb. & dignit. c. fin. de Paroch. c. Suggestum 9. §. de Decimis, Clement. 1. de Jure Patronat. cit. Rebuffus n. 4. Covarruvias Lib. 1. Var. cap. 17. n. 6. in fine & Barbosa *in c. De Monachis cit. n. 6.**

Si supplementum illud à decimis haberi nequeat, deveniendum ad collectas & alia

& aliâ, si quæ appareat, ratione eis de congrua sustentatione erit providendum, ex decreto Tridentini *cap. 13. cit. Zypæus l. cit. n. 1.* Hæc de Parochiarum Rectoribus.

27. Vicariis earum perpetuis providendum de congrua sustentatione pensionem ipsis annuatim præstandam ab iis, qui decimas & alios Parochiæ proventus percipiunt, puta à patronis, à Monasteriis, Hospitalibus, Seminariis &c. quibus eæ per unionem quoad temporalia sunt incorporatæ, ab aliis decimarum possessoribus, etiam laicis: etsi patroni non sint, per *text. cc. cit. c. 1. de Prab. & dignit. in 6. & Clement. 1. de Jure Patronat. & rationem pro Parochis allatam.* Qui, si plures sint, ad eam portionem pro rata, sive parte fructuum sibi obvenientium, præstandam tenentur & conveniri simul omnes possunt, *arg. l. Soleant 3. ad fin. ff. de Aliment. & Cibar. leg. Rebuffus Tract. cit. n. 50.*

28. Quantitas autem Pensionis, portionem Vicariis congruam constituentis, non eadem semper fuit; olim enim in quibusdam provinciis ita tenuis erat; ut eam quartæ quartam, hoc est, decimam sextam fructuum partem non excessisse, Innocentius III. meritò quereretur, eamque; ut Vicariis ad sustentationem sufficeret, augeri juberet *c. Extirpanda 30. pr. de Prab. & dignit.* aliâ Trebellianicæ instar quarta, aut istâ aliquantò major minore portio fuit, teste *cit. Rebuffo n. 82.* Amplius Vicariis tribuit Tridentinum, eis fructuum & proventuum Parochialium partem tertiam aut majorem vel minorem, arbitriò Ordinarii assignandam, decernens *Seß. 7. cap. 7. de Ref.* quod S. Synodi decretum & Ordinarium arbitrium Pius V. *Constitutione*, quæ incipit *ad exequendum, Cal. Nov. 1567. editâ* ita restrinxit; ut eis nec centum scuta ex-

cedere, neque infra quinquaginta descendere in assignatione liceret, & tam excessus quàm defectus non valeret; ne necessaria vitæ subsidia deessent Vicariis, & Monasteria cæteraque piæ causæ, quibus parochiæ quoad temporalia unitæ sunt, plus æquò gravarentur, & congruâ portione Vicariis præstitâ oneribus, quorum intuitu uniones factæ sunt, impares redderentur, *Zypæus cit. Consult. 4. pr.*

29. Excipiendus tamen est imprimis casus, quò Ecclesiæ unitæ fructus quinquaginta scuta secundum verum annum valorem non excederent; tali enim casu omnes relinquendi essent Vicario; quòd ejus, utpote curam animarum actu gerentis, causa in defectu potior sit, quàm Monasterii aut alterius causæ piæ, cui unio facta est, *Zypæus ad Tit. de Parochiis Resp. 3. n. 10. in fine*, cum; quia fructus, ex quibus ei portio est assignata, prius erant patrimonium Ecclesiæ, cui ipse servit & fidelibus eam frequentantibus Sacramenta ministrat; tum verò; quia ipse tanquam curatus pro se habet Jus commune, *c. Pastoralis 9. de Lis, que à Prelat. & Ecclesiæ unio etiam à Papa non fit, nisi reservatâ congruâ portione, c. Exposuisti 33. in fine de Prab. & dignit.* ac proinde sub conditione ejus remanentis Vicario, *arg. l. Ab emptione § 8. ff. de Pactis*; cui prius providere, postea verò reliquos fructus Monasterio, Seminario aut alteri causæ piæ, cui Ecclesiæ unita est, donare intendit; ne discoperiatur unum altare, ut alterum cooperiatur, *Panormit. in c. De Monachis cit. n. 3. Henric. de Boich. in c. Exposuisti cit. n. 5. & Rebuffus Tract. cit. à n. 101.*

30. Deinde excipiendus est casus, quò in provincia aliqua rerum ad victum, vestitum cæteròsque humanæ vitæ usus necessariorum pretium ita augetur; ut iis paran-

X x x x x ;

iis paran-

iis parandis & aliis oneribus supportandis centum scuta ordinariè non suffectura constaret; tali enim casu, eam scutorum quantitatem excedentem portionem Vicariis assignanti Ordinario, Pii V. *Constitutio* utique non obstarèt; cum ista, centum scuta ad Vicarii congruam sustentationem indubitatè sufficere, supponatur. Quod confirmatur; quia seculò decimò sexto, quo in congruam portionis assignatione centum scuta excedere, & infra quinquaginta descendere Ordinarii à Pio V. prohibiti sunt, rerum ad sustentationem necessariorum quantitas major centum scutis, quàm nostrò hoc nuper inchoatò centum aureis, parabilis fuit. Unde, sicut portio illò in quantitate fructuum assignata; nostrò tempore congruam excedit: ita, quæ illò in pecunia assignata fuit, nostrò tempore ad congruam sustentationem non ascendit: eamque ob causam hodie pauci parochiarum unitarum Vicarii sunt, quorum annui proventus summam à Pio V. definitam non excedant: & sub ipsum nuper exacti seculi initium Vicarios perpetuos cum assignatione fructuum, quæ nec major centum, nec quinquaginta aureis minor sit constitui Antuerpiæ potuisse, S. Congreg. Cardd. Interpp. ad postulationem Episcopi ejus Civitatis declaravit, apud Zypæum *Analysis Tit. de Parochiis* n. 12.

31. Dubium nunc est, quænam veniant nomine proventuum Ecclesiæ, ex quibus & decimis congrua portio Vicario perpetuo est assignanda. Qua in re aliqui Regulæ instar statuunt, eò non venire fructus incertos, quos Altaris pedem vocant; quòd venter, cui eam portione providetur, ab incerto non debeat pendere: & propterea, in portionem eam imputari posse, negant oblationes, distributiones, mortuaria & emolumenta, quæ proveniunt ex celebratione Missarum;

quòd sint incerta & non tam Ecclesiæ, quàm personæ sive præfici ab ea ministrati, intuitu acquirantur: & accenseantur bonis clericorum quasi patrimonialibus, obnoxiiis eorum liberæ & in quascunque etiam prophanas causas inter vivos & per ultimam voluntatem faciendæ dispositioni, secundum S. Thomam 2. 2. q. 187. art. 1. Panormit. in c. *Com. esse* 10. de *Testament.* n. 26. Covarruviam in c. *Com. in Officiis* 7. eadem Rubr. n. 7. & tradita supra *Tit.* 25. n. 20.

Sed, esto hæc ita sint, oblationes tamen, distributiones, aliòsque limites etiam, ut vocamus, Stola proventus, quando reduci possunt ad certam summam seu æstimationem, quæ notabiliter majores minoresve esse nunquam solent, Ecclesiæ proventuum, in portionem Canonice impurandorum, nomine venire posse, cum Felino in c. *Ad aures* 1. de *Rescript.* n. 14. censet cit. Rebuffus n. 87. quòd paria sint, certum esse per se vel per relationem ad aliud certum, *l. An Erator* 5. §. 1. ff. de *Rejudicata.* Cui Sententiæ non leve pondus addit cit. *Constitutio* Pii V. portionem eam assignandam asserentis, *Comparatio omnium etiam incertis emolumentis & aliis obventionibus communiter percipi solitis*, neque requirentis; ut emolumenta ista & obventiones percipiantur jure Ecclesiæ Parochialis, ut notat Zypæus cit. *Resp.* 2. n. 11. §. *At verò.*

Dubium secundò est, an portio semel constituta mutetur pro varietate clericorum; ut, si Vicariam obtineat clericus Nobilitate vel Gradu literario præcellens, ei major portio sit assignanda. Suadere id videtur ratio, cum enim hujusmodi personæ sustentatio plus exigat, portio, quæ aliis, non etiam ipsi congrua erit. Nihilominus eam, si in se congrua & legitime constituta sit, sicut ad instantiam

instantiam v.g. Praelati, cujus Monasterio parochia unita est, non facile diminuitur, arg. c. Adhuc 3. de Offic. Vicar. & c. Avaritia 10. de Praeb. & dignit. sic etiam ad petitionem Vicarii; quod ipsi ratione Nobilitatis vel Gradus literarii, ad sustentationem plus exigentis, non sufficiat, augenda non est; quia contrariorum eadem est disciplina, arg. l. 1. ff. & pr. In sit. de His, qui sui vel vel alien.

Quare clericus Nobilis vel Doctor, cui ejus, quam obtinet, Vicariae portio propter ejusmodi qualitatem congrua non est, sibi imputare; quod illam acceptarit; & ex suo patrimonio vel industria vivere debebit, per tradita à Panormit. in c. Ex praesentium 3. de Pignoribus n. 6. & cit. Rebuffo n. 92, qui tamen n. 93. rectè excipit casum, quod portio semel ritè assignata bellicè aut alià clade interiisset aut esset diminuta; ut aliis etiam clericis congrua amplius non sit: quod tamen casu opus est aliquà distinctione: & quidem, si fructus ad portionem redintegrandam sufficientes remaneant apud patronum vel Monasterium aut Seminarium, cui parochia unita est, pro ejus redintegratione agi ex Canone, hoc est, c. De monachis 12. de Praeb. & dignit. & c. 1. eadem Rubr. in 6. Siverò apud illos nihil remaneat, redintegratio peti poterit à parochianis, juxta decretum Trident. Sess. 21. cap. 4. de Reform. cum enim his Sacramenta cæteraque Divina ministrandò Vicarius in spiritualibus serviat, temporalia ad sustentationem necessaria, cum aliunde deficient, ab ipsis recipere debebit. Ita cit. Rebuffus n. 94. & Card. de Luca Theatr. V. & I. Tit. de Parochis, disc. 18. n. 11.

35. Dubium tertio est de iudice, coram quo congruae portionis assignatio & ejus ita diminutæ redintegratio est petenda. Quem non Secularem, sed Eccle-

siaicum & loci Episcopum esse, cum cit. Rebuffo n. 55. & aliis tradunt Barbosa Prax. penson. p. 2. q. 13. n. 3. & Zypæus cit. Resp. 2. n. 8. quia congrua sustentationis & portionis assignatio & iudicium de ea negotium merè Ecclesiasticum est; cum concernat beneficium, quod spirituali annexum est: & personam Ecclesiasticam, cui congrua sustentatio assignatur aut redintegratur: Ecclesiastica autem negotia autoritative tractare, in hisque se intromittere non Secularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis, c. Decernimus 2. c. Quantò 3. de Judicis c. Si iudex 12. ibi, Quia de re Spirituali & Ecclesiastica est, de Sent. excom. in 6.

Excipiendus tamen est casus, quò Vicarius in portionis sibi assignatæ perceptione turbaretur, aut eà spoliaretur à laico; hunc enim illius Retinendæ vel Recuperandæ Possessorio convenire posset coram iudice Seculari: sicut coram isto ejusmodi Possessorium, super decimis aut alio simili jure intentatum, agitari potest, per tradita Lib. 2. Tit. 12. & Lib. 3. Tit. 30. n. 122.

Sicut Episcopum, sic etiam Conservatores Apostolicos, super assignatione & adjudicatione congruae portionis adiri posse, suoque tempore consuevisse, testis est cit. Rebuffus n. 58. cum n. 57. eam vacante sede, à Capitulo assignari & adjudicari posse, statuisset cum Pavino de Offic. & Potest. Capit. sede vac. p. 1. q. 7. in fine quòd ejus assignatio & adjudicatio Episcopo competat ratione jurisdictionis Ordinariæ, c. De Monachis cit. c. Statuto 2. §. Ubi autem, de Decimis in 6. & Clement. 1. de Jure Patr. vacante sede penes Capitulum residentis, c. His que ii c. Cum olim 14. de Majorit & c. 1. eadem Rubr. in 6.

Neque refert; quòd ratione ejus portionis

portionis conveniatur Prælati Monasterii exempti & immediatè subjecti Papæ; quia etiam exempti ratione congruæ portionis conveniri possunt coram Ordinariis locorum, per textus *Clement. cit. in fine c. 1. V. Nos itaque, de Præb. & dignit. in 6. & Trident. Sess. 7. cap. 7. de Reform.* ac proinde, sed vacante, coram Capitulo; quia in casibus, quibus ratione suæ jurisdictionis Ordinariæ Episcopus, istâ vacante, Capitulum contra exemptos procedere potest, ex mente Panorm. *in c. Cum olim cit. n. 2. & ibid. Felini n. 37.* Qua de re tamen contrarium statui *Tit. 9. n. 15.*

39. Procedendum autem in congruæ portionis causis est *Summarie & Appellatione remotâ*, ut vult *Zypæus cit. Resp. 2. n. 9. & 14. contra cit. Rebuffum n. 60. & 79.* neutro tamen locò id firmiter negantem. Summarie quidem; quia est causa alimentorum, tangens decimas aliisque proventus beneficii sive Ecclesiæ parochialis, cui Vicarius servit, atque ab ea sustentationem sufficientem seu congruam portionem petit: in alimentorum autem, saltem futurorum & præsentium decimasque & beneficia Ecclesiastica quòquò modò tangentium, causis summarie sive simpliciter, de plano sine strepitu & figura iudicii procedi potest, *Clement. Dispensatam 2. de iudiciis & arg. l. fin. ff. de His, qui sui vel alieni jur. Maranta Prax. aurea p. 4. n. 168. & 174.* quòd mora seu litis super iis motæ protelatio damnosa sit & periculosa; ideòque exigat celerem expeditionem. Appellatione autem remotâ, ex decreto Concilii Trident. *cit. Sess. 7. cap. 4. & 7.* quoad effectum tamen, non devolutivum, sed suspensivum duntaxat; ne, sententiæ super congrua latæ executione per appellationem suspensâ, negligatur animarum cura & debitis obsequiis Ecclesiæ defraudetur.

ARTICULUS III.

De Ecclesiæ Ædiumque Parochialium Reparatione.

SUMMARIUM.

41. In hac servanda est loci consuetudo & conventiones.
42. Dein supersini redditus fabricæ,
43. Parochorum & beneficiariorum ad reparationem impendendi.
44. His deficientibus, ad hanc tenentur patroni:
45. At non, nisi aliquis Ecclesiæ redditus percipiant.
46. Decimatores à reparatione vultu absolventium,
47. Et ad illam obligantur vultu opinio.
48. Si tamen equò plus non gravantur.
49. Et decima diversimodè conferenda sunt.
50. Demum ad reparationem tenentur ipsi parochiani,
51. Etiam nobiles & alii exempti,
52. Secundùm aliquos capitam:
53. Secundùm alios & vultu facultatum habitâ ratione.
54. Reparanda Ecclesiæ est in capite & membris:
55. Et ipsa etiam ades Parochiales.
56. Quæ in re tamen varia praxi dicitur esse.

CUm Ecclesiæ Parochiales vetustate aut casu aliquò sunt collapsæ vel imitantur ruinam, ad eorum reparationem concurrent & necessarios sumptus vel operas conferent populus aut alii, quibus id oneris recepta loci consuetudo vel particularia statuta

statuta aut conventiones imponunt, ut in c. 1. notant Hostiens. n. 1. Panormit. n. 3. Barbosa n. 3. & Vallens. ad hanc Rubr. §. 5. n. 2.

42. His autem seclusis, illarum reparatio facienda est de portione proventuum sive reddituum fabricæ deputata, can. Desernimus 10. q. 1. & can. Unio 3. ibid. q. 3. Lambertin. de Jure Patronat. Lib. 3. q. 7. art. 2. n. 2. §. 7. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 64. n. 1.

43. Si proprios aut ad consuetum cultum Divinum non necessarios proventus Fabrica non habeat, de redditibus, qui congruæ sustentationi superflui, contribuere ad eam debet Ecclesiæ Rector & alii ejus beneficiati, c. 1. §. c. De his 4. quorum textum dispositio innovata est à S. Synodo Trident. Sess. 21. cap. 7. de Ref. Episcopos monente. Ut Parochiales Ecclesias collapsas refici & instaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque, ad eandem quomodocunque pertinentibus: quales cum etiam sint, quos Rector ceterique beneficiati ipsarum intuitu percipiunt, ad earum refectionem de bonis, quæ ab Ecclesiâ percipiunt & congruæ sustentationi superflui, contribuere tenentur, c. De his cit. ibi, Si eis superflui. Sustentationi, inquam, non Conservacioni aut incremento Status; quia beneficiorum Ecclesiasticorum fructus non ad fovendam atollendamque statûs conditionem & mundanos titulos, sed ad ipsorum sustentationem & alendos de superfluis pauperes & instituendû promovendûque cultum Divinum clericis sunt deputati, Lambert. cit. n. 7. Riccius in Praxi Neapol. p. 4. decis. 293. Comitulus Lib. 1. Respons. q. 82. n. 2. concl. 3. & Barbosa in c. De his cit. n. 3.

Si beneficiorum fructus aded tenues sint; ut ad Rectoris & beneficiatorum sustentationem duntaxat sufficiant,

istaque deductâ, quod ad Ecclesiæ restorationem conferant, non superflui: vel, quod superflui, in eam collatum non sufficiat, Patroni & omnes alii, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, ad eam tenentur & compelli possunt, ex decreto cap. 7. cit. Unde

Dubium oritur, an ad Ecclesiæ reparationem teneantur Patroni ex fundatione, constructione & dotatione. Quod non obscure decretum videtur relatis verbis Tridentini, deficientibus Ecclesiæ redditibus, ad eam generaliter & sine ulla distinctione obligantibus patronos. Id ipsum suadet ratio, cum; quia eis incumbit Ecclesiæ à se fundatæ cura: quæ ejus non tantum conservationem, sed etiam reparationem exigit: tum verò; quia etiam ipsi percipiunt aliquos fructus Ecclesiæ à se fundatæ; cum ipsis competat præsentatio clerici ad eam vacantem & præcedentia sive prærogativa in sede, processione, thurificatione: & cum ad inopiam vergunt, ab Ecclesiâ alimenta percipere possunt, per tradita supra Tit. 38. à n. 69. Ita Belletus Disquisit. Clericat. p. 1. Tit. de Clerico debitore §. 14. n. 10. & Leo Thesaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 16. n. 17.

Sed melius Lambertinus cit. Art. 2. 45. n. 5. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 20. ad Ecclesiæ reparationem hujusmodi patronos obligari, negant: nisi aliquid percipiant de Ecclesiæ bonis, v.g. pensionem annuam in fundationis limine reservatam, juxta c. Præterea 23. de Jure Patronat. partim; quod ab ipsis patronatûs jus plenè acquisitum sit ex prima fundatione, c. Nolis 25. de Jure patron. quâ factâ præstititerunt, quod à Jure inductû & ad ejus acquisitionem est requisitum: partim verò; quod S. Synodi Trident. PP. cum Patronos ad Ecclesiæ refectionem obligant ratione fructuum, quos

Y y y y

ex Eccle-

ex Ecclesiis percipiunt, nomine fructuum intelligunt redditus seu proventus temporales & ad illarum refectionem conductes: cujusmodi cum non presentatio & praecedentia, sed tantum redditus seu annui proventus sint, qui istarum nullam partem percipiunt, ad refectionem non tenebuntur, *arg. cap. 7. cit.*

Si patronus pensionem annuam vel decimas provenientes ex praediis, intra Parochiae à se fundatae fines sitis, percipiat, ad Ecclesiae reparationem concurrere eum teneri, clarè desumitur ex decreto *cap. 7. cit.* & ratio est; quia utique æquum est; ut, qui percipit Ecclesiae commoda & proventus, etiam subbeat onera, eique laboranti succurrat.

Unde
46. Dubium oritur de decimatoribus, qui patroni non sunt: quos ad Parochialis Ecclesiae reparationem concurrere non teneri, cum *Zoesio ad hanc Rubr. n. 5. tradit cit. Pirthing n. 18.* partim; quòd id onus decimarum possessoribus impostum nusquam reperitur: partim verò; quòd decimæ, postquam privilegio Apostolico vel praescriptione, praesertim immemoriali, à Parochia legitime abstractæ & ad alium pium usum vel ad Monasterium aut Ecclesiam extraneam translatae sunt, inter prioris Ecclesiae fructus & proventus recenserentur amplius non possunt, idèoque verè dici queat, ab hujusmodi decimatoribus nihil percipi de proventibus Ecclesiae Parochialis. Confirmatur quia, si ad illarum reparationem concurrere tenerentur ejusmodi decimatores omnino extranei, ad eandem etiam adstringerentur decimarum possessores laici: quos tamen, teste *Zypæo ad Rubr. de Parochiis, Consult. 4. n. 2.* plerique alii DD. ab illo, & Parochorum etiam alendorum onere eximunt &, ab iisdem possessas decimas omnino liberas esse,

pronuntiant; quòd eæ tanquam bona patrimonialia, eademque, quæ cætera hujusmodi bona, immunitate possidentur; *Molinaus de Consuet. Paris. pp. n. 104. & §. 68. n. 24.* Neque laicos duntaxat, earum possessores: sed istorum etiam successores clericos, sive Ecclesias, Altitas, Monasteria, Capitula &c. ad quæ pro Religiosorum sustentatione, pro Anniversariorum, Missarum, elemosinarum &c. fundacionibus decimas contulerunt, à contributione ad Ecclesiarum Parochialium refectionem, ratione ejusmodi decimarum faciendæ exemptos, idem *Zypæus censet n. 3.*

Sed, licet hanc rationem ita corroboratam minimè contemendam, etiam pro qua allata est, praefendam cepto Opinione *Peckii de Repar. Eccles. cap. 14. Gutierrez Practic. 2. Lib. 1. cap. 17. n. 4. & Laiman. Lib. 4. Tract. 3. cap. 11. n. 10.* qui Ecclesiae Rectore & beneficiatis ultra sustentationem, & quod ad reparationem conferant, non habentibus vel non sufficientibus, decimatores obligant, propter textum *c. De his & cap. 7. cit.* quorum priori Ecclesiae reparatione faciendæ dicitur de ejus bonis: postea ad eam compelli jubentur, qui percipiunt aliquos fructus ex eis provenientes: bona autem & fructus ab Ecclesiis provenientes sunt decimæ; quia hæc vi sue institutionis & jure communi spectantur parochiae, ex cujus praediis proveniunt, *c. Cum sint 18. c. Tua 26. pp. c. Cum contingat 28. & de Decimis; in ejus ministrorum sustentationem, cultum Divinum & fabricæ constructionem tuitionemque impendantur, c. Statuta n. §. Ubi autem, ad fin. de Decimis in 6. Peckius l. cit.*

Quam rationem & Opinionem non parum firmat Consuetudo plurium locorum, in quibus decimatores ad Ecclesiam

harum reparationem adstringuntur, ut ipse non semel observavi, & advertit Pirthing *cit. n. 18. in fine*, eamque ob causam Zypæus suæ doctrinæ, quæ Ecclesias, Monasteria &c. ratione decimarum, à laicis ad se reversarum, à contributione ad reparationem eximit, propter praxin contrariam à iudicibus non multum tribuendum veretur *cit. n. 3. in fine*. Imò in *Analyfi hâc Rubr. n. 2.* sumptibus aliunde deficientibus, disertè docet, subsidium petendum ab omnibus decimis, etiam ad naturam primigeniam sive à laicis ad Ecclesias, Monasteria &c. reversis, & feudali aliòve nexu adstrictis: imò etiam in manu laicâ existentibus: dummodo ipsas ab ea, de cuius reparatione agitur, Ecclesia profectas, doceri possit. Unde

In contrarium allata facile diluuntur; quia decimæ institutæ sunt; ut ex ipsis perpetuò & stabiliter prospectum esset parochiarum Rectoribus de sustentatione, & Ecclesiis de necessariis ad earum conservationem, §. *Ubi autem cit.* ideòque ad quoscunque possessores cum onere eaque conditione transeunt; ut ad illorum sustentationem & istarum reparationem necessaria, si aliunde deficerent, ex ipsis habeantur, Maximil. Faustus *Consil. pro Arario Class. 12. consil. 16.* Qua in re tamen cavendum est; ne decimatores reparationibus unò eodémque tempore nimium, aut ita graventur; ut sustentatio personis v.g. Religiosis, in quarum alimenta vel necessaria ad cultum divinum profequendum decimæ destinatæ sunt, non subtrahatur ab Ecclesiis, in quarum dotem collatæ olim fuerunt.

Subiicere his lubet, quæ *cit. Consil. 4.* traduntur à Zypæo, notante Imprimis ex decimis, intra parochialis Ecclesiæ fines provenientibus, in illius reparationem & parochorum sustentationem

præ aliis applicandas, quæ proveniunt ex novalibus; quòd ex magis proprie sint parochorum, c. *Quoniam 13. de Decimis, n. 5.* Deinde ex aliis decimis prius conferendas, quæ post alias sive ultimò locò à parochia sunt avulsæ, per ea, quæ in *l. Si mater 7. c. de Inoffic. Donat. & §. Item si quis in fraudè 6. Instit. de Adhoni-bus tradunt DD.* scilicet ex pluribus rebus diverso tempore inofficiòse donatis aut in fraudem creditorum alienatis ante alias repetendas, quæ ultimò locò ita donatæ sunt vel alienatæ, n. 6. Demum postremò locò recurrendum ad eas, quæ sunt in manibus laicorum; quòd hæc, si ab onere illo non omnino immunes, subsidiariæ tantum sint, & ad sustentationem Rectoris Ecclesiæ istiusque refectionem, non nisi in aliunde deficientium subsidium vocari possint, n. 2.

In defectum Rectoris & aliorum, qui fructus ab Ecclesia percipiunt, ad parochialium Ecclesiarum reparationem tenentur parochiani, qui ab ea percipiunt Sacramenta, *cap. 7. cit.* Cujus ordinis sive, quòd isti post Rectorem &c. teneantur, ea ratio est; quòd sit opus Ecclesiasticum: ad quod laici solummodo in subsidium clericorum sive, cum istorum bona, congruè sustentatione deducta, non sufficiunt, tenentur: sicut contrà ad fontium, viarum, pontium & hujusmodi operum prophanorum constructionem reparationemque clerici post laicos, & tum demum obligantur, cum deficiunt vel non sufficiunt istorum facultates, c. *Non minus 4. & c. Aversus 7. de Immunit. Eccles. Gutierrez Alleg. 10. n. 4.*

Tenantur autem in defectu clericorum parochiani omnes, secundum *cap. 7. cit.* hoc est, non solum plebei: sed etiam Nobiles & alijs exempti; quia Ecclesiarum reparatio est opus publicum & concer-

Xyyyy 2

concernens communem omnium utilitatem ac necessitatem: ad cuiusmodi opera cum plebeis tenentur Nobiles & alii exempti, ut nemo excusetur, *arg. l. Ad instructiones 7. C. de SS. Eccles. Riccius Neapol. decis. p. 4. decis. 15. n. 4. Gutierrez l. cit. n. 5. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 64. n. 7.* Unde

52. Dubium oritur de modo contributionis, pro reparatione faciendæ à parochianis; hanc enim per capita hominum vel domorum dividendam, nonnemo suadet ratione; quòd, cum Ecclesiastica Sacramenta cæteraque Divina omnibus æqualiter sine acceptione personarum ministrantur: nec minorem in ea locum habeat pauper, quàm dives, plebeius quàm nobilis, ab omnibus æqualiter concurrendum videatur, per tradita à Baldo in *l. Omnium 6. C. de Vestig. & Commis. n. 3.* Sed ratio hæc intentum non persuadet: imò supponit falsum; cum ulu competentum & palam notum sit, à Nobilibus & opulentis parochianis primas & magis conspicuas sedes in Ecclesia, prima loca in processionibus & oblationibus faciendis obtineri, eosque præ aliis decenti sepulturâ honorari: à plebeis, autem & pauperibus ferè postrema & humiliora sedilia, vel extra ista pavementum & angulos occupari: ipsam etiam Sacramentorum administrationem aliisque functiones parochiales plerumque majori promptitudine, decentiâ & apparatu illis, quàm his ministrari.

53. Quare ad reparationem illam contributio non per capita personarum aut domorum, sed per libram & as, sive à parochianis, ipsorum non numero, sed facultatibus attentis faciendâ, & in eam plus conferendum erit ab opulentis, quàm à pauperibus aut mediocri fortunæ hominibus; quia est opus publicum; cum publicam utilitatem & communem usum

concernat: ad operis autem publici constructionem loci incolæ pro rata patrimoni concurrere debent, *l. Omnes 12. C. de Operib. publ.* quia onera ejusmodi utilitatem & usum concernentia, ordinariis & merè realibus æquiparantur, *l. Omnes 5. C. de Annona & Trib. ad que collectæ non secundum numerum personarum, sed patrimoni seu bonorum quantitatem & æstimationem fieri debent, l. 1. V. Hoc etiam C. de Apob. publ. ubi Glossa V. Inopes, Bartol. n. 4. & Fran. Leo Thesaur. Fori Ecclis. Lib. 2. cap. 16. n. 75.*

Reparanda autem à prædictis parochialis Ecclesiæ collapla aut ruinosa fabrica est in Capite & Membris; ut non solum ipsius interiora cum partibus, sed et ad Missarum celebrationem & reliquum cultum Divinum in ea peragendum necessaria suppellectile; sed etiam sacristia, turris cum campanili & campanarium tanquam partes illi accessorie restantur, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6.* Imò ipsæ etiam ædes Rectoris habitatio, *l. Imò ipsæ etiam ædes Rectoris habitatio 7. art. 3. à n. 1. passim notant DD. & S. Congreg. declaratum, testis est Barbosa de Offic. Paroch. cap. 13. n. 12.* quia ejusmodi ædes accessorie sunt Ecclesiæ & Sacerdotum Ministerio, *casu Reverissimi 16. q. 1. ac proinde, sicut cæteris alimentis, sic etiam habitatio pro ipsis indiget; quia alimentorum nomine non solum cibum & potum vestitus & similia ad usum vitæ necessaria: sed etiam habitatio venit; cum sine ista homo vivere regulariter non possit, l. Legatis 6. ff. de Aliment. leg. Beroius Lib. 2. Const. 44. n. 11. Surdus de Aliment. Tit. 4. à q. 1. & Menoch. Lib. 4. præsumpt. 57. n. 27.*

Cæterum in hujusmodi ædium parochialis, reparatione

paratione ante omnia observanda sunt pacta & conventiones, & his cessantibus statuta vel consuetudines dioecese: vi quorum Jurium particularium alicujus in aliquibus Germaniæ nostræ dioecesebus Parochi & alii beneficiati quot annis Pa-

rochialium & aliorum reddituum beneficialium portionem aliquam vel certam pecuniæ summam v.g. decem florenos in ædium Parochialium Reparationem impendere, vel, cum necessitas exigit, impendendam pendere debent.



TITVLVS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Coemiterii & Rerum, ad eas pertinentium.

UT Ecclesiæ ad cultum Dei & Divinorum frequentationem suâ dignitate Fideles invitarent, non tantùm ad formam & splendorem Dei domui convenientem extrui & reduci semper consueverunt: sed insuper munitæ sunt privilegiis geminæ Immunitatis: Localis, quæ ipsarum venerationem: & Realis, quæ rerum ad eas & personas Ecclesiasticas pertinentium tuitionem spectat.

ARTICULUS I. De Immunitate Locali.

SUMMARIUM.

1. Immunitatis definitio ac divisio.
2. Localis in duobus privilegiis consistit.
3. Primò ab Ecclesiis excluduntur I. Jura Secularia,
4. Ecclesiastica permittuntur.
5. II. Contractus & negotiationes, præsertim nundinarum.

6. III. Concilia seu conventus Seculares.
7. IV. Ludi, choreæ, musicæ & c. profane.
8. V. Rerum prophanarum deposita.
9. VI. Hospitiis & similia onera.
10. Alterò ad Ecclesiam confugientes protegentur.

Immunitas in genere est Exemptio siue libertas à munere vel onere communi, l. i. ff. de Jure immunit. In specie autem Immunitas Ecclesiastica est Jus, quò Loca, Res vel Personæ Ecclesiasticæ à communi onere siue obligatione liberæ sunt & exemptæ, Panormit. in Rubric. Sylvester V. Immunitas 1. pr. & Covarruvias Lib. 2. var. cap. 20. pr. Res, inquam, Loca vel Personæ in numero plurali; quia particularis alicujus rei, loci vel personæ Ecclesiasticæ privilegium, vel specialis exemptio Ecclesiasticæ immunitatis nomen non meretur: sed sola exemptio, quæ convenit toti statui vel generaliter omnibus ejusmodi Locis, Rebus vel Personis, ut cum Panormit. in c. Novit 49.

Y Y Y Y Y